



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Edmundus Neutilus n. 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1611. spicue, vel minus solide positum est, id solum mihi attribuo. His valeas, vir optime, & doctissime, mei memor in Sanctis precibus tuis. Datum Romæ 14. Februarii. 1614. Cardinalis Bellarminus.

Doctor
Pricius.

Hic sub *Iacobo* Rege spes suas resque dimisit, viuens & valens, vt Christum nudus potius sequeretur ad sponsæ amplexus, quam splendide vestitus in Aula terrestris Regis Cathedram teneret pestilentia. Alter eiusdem gradus & loci apud *Carolum* Filium, cum magni esset nominis & auctoritatis, mori voluit Catholicus, stupente Rege & Aula vniuersâ, latius existimans (vt quidam non infacetè respondit Regi interroganti) animam committere Naui Petri, quam cymbæ Caluini. Atque hæc ostendit Deus per interualla conuersionum exempla vt alij vel discant sequi, vel sua negligentia exclusi condemnentur. Redeamus nunc ad ea quæ nos propius contingunt.

Edmundus
Neuillus
senior.

I X. Annos ætatis numerabat *Walsinghamius* triginta septem quando ad Societatem accessit: *Edmundus Neuillus* eiusdem anni Tyro lex & quadraginta: quem familia ortum perillustri prædiues patrimonium in *West-morlandiæ* comitatu velut hæredem sequebatur, si tempori oblectandare statuisset: sed spe æternorum præsentium vincente speciosam ostentationem, prætulit opprobrium Christi principum delicijs, & Societati se adiunxit Sacerdotio initiatus. Annos vixerat octoginta septem, quando ardente bellis ciuilibus *Insulâ*, lecto à multo retro tempore affixum rapiunt Parliamentarij milites, & impositum carrucæ & vix spiritum ducentem auerunt ad quoddam quod in vicino erat oppidum, & tradunt custodia; At neque in vinculis dereliquit eum Deus; prouiderat enim illi Matronam piam quæ & sumptum omnem faceret, & tanquam parenti ministraret: exactis in ea custodia mensibus nouem, quam libertatem inuiderant Religionis hostes, solutis corporis vinculis à Deo obtinuit.

Præter illam verò quæ tyrocinio est propria culturam animorum, proximo etiam porrecta suat auxilia, quotannis aliquot spiritualibus exercitationibus excolendo, alios patrio solo extorres solando, & ad toleranda quæ incidunt ardua confirmando, militibus qui ex vicinis *Hollandorum* castris profugiunt docendis ea quæ ad fidem & vitam Christiano dignam spectant, ijs denique qui stipendia sub *Hispano* merentur erudiendis. Quæ atque his similia cum per annos singulos recurrant, semel dixisse satis est, vt ex primis sequentia intelligantur. Annus autem eius sæculi decimus (qui fuit *Personio* vltimus) non tyromum tantum aucto munero (censebantur enim duo & viginti; Sacerdotes videlicet vndecim, & totidem rerum domesticarum Adiutores) sed noui etiam spe Collegij fuit celebratus, in quo ex Tyrocinio in posterum translati iuniores Philosophicis Theologicisque disciplinis darent operam, prouectiores docendo scribendoque orthodoxam fidem defenderent ac propagarent, vt tanti viri iacturam hac noua accessione Deus lenire voluisse videatur.

X. Iaco.